

LJUBLJANSKI ŠKOFIJSKI LIST.

Laibacher Diocesanblatt.

Št. III.

Vsebina: 12. Instructio ad Clerum de erudiendis obstetricibus. — 13. Reliquiae antiquae. — 14. Quaestiones pro conferentiis pastoralibus anno 1897. habendis. — 15. Gesetz in Betreff der Auswanderungsgeschäfte. — 16. Ministerial-Erlass in Betreff der Fructification kirchlichen Vermögens. — 17. XXXI. Staatslotterie. — 18. Veliki katekizem. — 19. Konkurni razpis. — 20. Škofijska kronika.

1897.

12.

Institutio ad Clerum de erudiendis obstetricibus

in iis quae ad suum munus in genere et de iis in specie quae ad baptismum in necessitate conferendum pertinent.

Art. I.

Ea quae generatim ab obstetrice in suo munere observanda sunt eique merito inculcari debent sunt sequentia:

In iis peragendis quae suae artis sunt, fideliter, accurate, solerter se gerat, animoque ad iuvandum parato.

Quum ad subveniendum mulieri pariturae vocatur, primo fusa prece eam seseque Domino Deo commendet.

Cuivis praesto esse velit aequa semper adhibita cura, sine personarum acceptione.

De iis quae in exercitio artis suae occurrere solent, altum silentium servet.

Loquelam quod attinet, honesta et castigata sit; in potu vero ciboque sumendo temperantiam custodiat, et tunc maxime, quum post infantis baptismum, ut alicubi moris est, convivia aguntur.

Instante partu a puerperae cubiculo otiosas aut non necessarias personas excludere prudenter satagat.

Abstineat a casibus aliquando obviis enarandis, qui animum puerperae exterrere eique metum, anxietatem ingerere possint.

Si quando partus difficilis aut praevideatur aut animadvertitur, curet mature medicum advocari, imo si opus fuerit, et sacerdotem.

Ut neonatus sine indebita mora sancto regenerationis sacramento abluatur, curet pro viribus; necessitate vero ingruente, obstetricis erit baptismum conferre.

Ut de infantis nativitate certior fiat Sacerdos, qui matriculas tenet, curam gerat, idque etiam tunc quum infans pos tacceptum e necessitate privatum baptismum brevi mortuus fuerit, aut foetus jam mortuus prodierit.

Art. II.

Nedum in artis suae exercitio, sed generatim obstetrix commonenda est, ut bene morigeram se praebeat, christiane vivat, sacramenta Ecclesiae frequenter recipiat.

Art. III.

Obstetricem docere expedit quid agat, quum animadverterit mulierem praegnantem ea mente esse, ut foetum depellat, et ad id fortassis media perquirere. Instanter scilicet et religiose moneat procuracionem abortus coram Deo immane scelus esse, ac verissimum homicidium, quum non modo corporalis vita concepti infantuli perimitur, sed etiam animae, quae baptismatis regeneratione et beatitudinis fruitione carebit; addat ipsa lege civili procuracionem abortus gravibus poenis plecti, imo nec criminis attentationem, licet non sequatur effectus, a poenis immunem esse. Praegnantem insuper doceat quantum fieri potest praecavere casus omnes, quibus vita foetus in discrimen adducitur, unde baptismatis percipiendi spes tollatur; id ipsum enim sub gravi peccato mulier uterum gestans praestare tenetur.

Art. IV.

Plurimum refert ut obstetrices probe sciant ea quae ad baptisma in casu necessitatis conferendum pertinent; etenim (ut habet Rituale Rom. tit. II. ep. I. nr. 1. et 13.) „summa ad illud (Baptismi Sacramentum) opportune riteque administrandum diligentia adhibenda est“ . . . „quapropter curare debet Parochus ut fideles, praesertim obstetrices, rectum baptizandi ritum probe teneant et servant“.

Necesse est ergo obstetrices accurate inculcateque instruere circa ea quae ad sacramenti necessitatem et sanctitatem, necnon validam ejusdem administrationem quoad materiam et formam pertinent.

Moneantur ut, si quando, urgente necessitate, baptismum conferre debeant, sese antea recolligant et intra se intentionem excitent baptizandi ut Christus jussit et Ecclesia facit. Optimum erit si, ad assistendum puerperae invitata, obstetrix caute pro baptismo, si ejus occasio futura sit, aquam apparet, et instrumenta, puta irrigatorem (Glasröhre) raro et providissime tantum utendum secum ferat, ita ut omnia in casu jam praesto sint.

Si neonatus filius acatholicorum in discrimine versetur, obstetrix catholica moneat parentes de

baptismate, cujus administratio necessaria sit, si vero ipsi sacrum ritum perficere nequeant aut nolint, aut si periculum mortis prope urgeat, ipsa baptizet, et quidem juxta formam ab Ecclesia praeceptam.

Art. V.

Ne obstetrix temere et sine causa ad baptismum conferendum ruat, docenda est ejus provinciam hanc esse, ut tantummodo in casu necessitatis sacramentum regenerationis administret, hoc est iis dumtaxat in casibus, in quibus merito metuum est, ne infantulus decedat, antequam a sacerdote de more baptizetur. Evenit enim non raro, ut obstetrices ad baptismum procedant tunc quoque, cum vera necessitas non urget; etsi ceteroquin arguendae non sint, si de aeterna animarum beatitudine sollicitae rerumve angustis pressae inter verum periculum prolis et ejusdem speciem non satis discernere queant. Imo, si quando periculi gravitas dubio subest, praestat utique partem tutiorem eligere et baptismum conferre.

Ideo, si obstetrix hac in re faciliorem se praebuerit, non est a sacerdote durius reprehendenda, sed potius monenda, ut experientiae documentis edocta, in judicando periculo tranquilla maturitate, quantum fieri potest, procedat; etenim acrius correpta, facile contingeret ut deinceps, redargutionem verens, etiam in casibus vere urgentioribus baptismum diutius differat aut omittat, forte non sine animarum irreparabili damno.

Art. VI.

Non paucae obstetrices opinantur materiam Sacramenti in necessitate conferendi esse aquam benedictam, e qua opinione longior mora consequi potest tunc v. gr., cum in domo puerperae aqua lustralis non habetur, unde dum haec requiritur et exspectatur, infantulus periculo exponitur sine baptismo decedendi. Ideo obstetrix docenda est, nihil referre, utrum aqua in eo casu adhibenda benedicta sit necne, idque solummodo inculcandum aquam veram et naturalem esse oportere, undecumque sumptam, sive e fonte, e puteo, e torrente, sive e pluvia, e nive aut e glacie

liquescente. Hoc unum itaque pro certissimo habeant, aquam non debere esse artificialem, ut e rosis expressam, nec alio quoquam liquore suppleri posse, ut puta lacte aut vino.

Quotiescumque at raro contingit, ut infanti adhuc in utero matris manenti ex necessitate baptismus conferatur, fideliter providendum erit, ut nonnisi omnino pura aqua adhibeatur, ne parturienti morbi inserantur cum mulieris fortasse vitae descrimine.

Quapropter ad baptismum intra matris uterum proli conferendum aqua prorsus ex fontibus, e. gr. ex aquae ductibus civitatum, vel aqua destillata sumatur. Quum vero ejusmodi aqua pura raro tantum adfuerit, aqua prius bene decocta et refrigerata adhuc tepida, quae obstetricibus semper praesto esse debet, adhibeatur.

Art. VII.

Cum aliquando contigerit ut obstetrix, pro eo, ut aquam infanti baptizando affunderet, aquam pollicem intingeret, eoque crucem in fronte neonati foetus signaret, ea de re solerter docenda est.

In hac quippe praxi adest periculum, ne loco integrae plenaeque formae sacramentalis, proferantur solummodo verba, quae in crucis signo efformando (In nomine Patris etc.) dici solent; et totus ille baptismi ritus seu praedicta applicatio materiae aut parum tuta aut saepe plane invalida foret.

Monenda itaque obstetrix ut, dum partui assistit, aquam in poculo aut cyatho sive alio quocumque vase in promptu habeat, et si ad baptismum procedendum est, non adspersione vel attactu aquae contenta sit, sed aquam ipsam capiti infantis triplici ductu infundat, et quidem ita, ut aliquatenus defluat.

Si vero aliquando inter angustias temporis vas nullum habere possit, hauriat aquam volâ manus, et fronti neonati affundat.

Art. VIII.

Quum certissime constet, in baptismo qualicumque verborum prolationem et aquae infusionem simul fieri oportere, in hac parte obstetrix quanta maxima diligentia instituenda est. Doceatur ergo

verba *Ego te baptizo in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti* esse proferenda (ut habet Rituale Rom. tit. II. cp. I. nr. 8.) uno et eodem tempore quo fit ablutio; ablutio vero trina fiat, ad singula nomina divinarum Personarum.

Iterato praeterea moneatur, ut super infantulum baptizandum intra ipsam aquae infusionem totam integramque formam sacramentalem recitet, nullo prorsus vocabulo omisso.

Praesertim inculcandum est enixe ne omittant verba *Ego te baptizo*; in hanc vero institutionem eo accuratius est insistendum, quod nonnullae obstetrices circa ritum administrandi sacramentum a se usitatum interrogatae et examinatae in repetenda baptismatis forma verba *Ego te baptizo* mox pronuntiarunt, mox omiserunt, quin adverterent per eam omissionem formam esse mancâ. Haec omissio hinc inde secuta effecit, ut baptismata ab obstetricibus collata causam dubitationis praebere; et propterea desiderabile est, ut baptismo in casu necessitatis administrato una vel altera persona praesens adsit, cujus testimonio sacerdos facilius et tutius rescire possit, num vere et valide baptismus collatus fuerit, quo comperto baptismati sive inconditionate sive sub conditione iterando locus esse nequit.

Moneantur praeterea obstetrices in baptismo privato de necessitate conferendo nihil cogitandum esse de nominis impositione, et superfluum esse disquirere aut conscire, quis sit infantis sexus.

Art. IX.

Docenda praeterea obstetrix omnino necesse esse, ut una eademque persona simul et aquam infundat et verba formae proferat. Caveat ergo ne hoc negotium partim sibi reservet, partim alicui praesenti, verbi gratia medico, demandet, sed utrumque agat, aut totum alteri, utique ad agendum idoneo, relinquat.

Art. X.

Si quando editus foetus dubitetur, num adhuc vivat, an vero exspiraverit, obstetricis est neonatum infantem sine mora baptizare per verba *Si vivis, ego te baptizo in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti*. Hic vero notandum est baptismum

valere, etsi verba formae dumtaxat de more promat, adjectam vero conditionem *Si vivis* solummodo mente concipiat; ast consulendum est, ut verba illa adjectae conditionis ut supra voce efformata exprimantur.

Tunc tantum baptisma plane omittendum est, quum de morte infantuli certo constat; obstetrix autem enixe monenda est, tunc tantum de morte constare nullumque locum esse baptismo, cum editus foetus signa putrefactionis dederit. Contra vero, ex eo quod neonatus infantulus nulla indicia vitae praebeat, non existimet eum decessisse; potest enim syncope occupari.

Quoties ergo non plene constat exanimem esse, quantumvis de vita dubitetur, baptismus sub conditione juxta praedicta illico est conferendus. Ideo obstetrix docenda est, ne primo conamina ineat et adminicula adhibeat ad infantem suscitandum vel ad signa vitae educenda et provocanda, baptismum interea differens, sed imprimis a baptismo exordiat, et reliqua postea impleat. Ritus enim sacramentalis brevissimo instanti perficitur, et reviviscentiae conamina ea mora levissima non impediuntur, dum contra dilato baptismo animae damnum irreparabile causari potest; deinde, ut per se patet, sacramento confecto, ab obstetrice omnia adminicula illico et constanter adhibenda sunt, ut infans foveatur aut eripiat a vitae discrimine.

Art. XI.

Sunt casus ubi, instante partu, serio timendum est, ne foetus emoriatur, antequam in lucem prodeat; tunc vero obstetricis est deliberare num ad baptismi collationem aqua infundi possit infanti adhuc in utero materno delitescenti. Quo in casu pro rerum diversitate procedendum erit, juxta sequentes regulas:

Quum foetus in alvo materna ita inclusus est, ut aqua attingi non possit, nullus baptismi locus est, ideoque plane inutile et proinde illicitum foret verba sacramentalia proferre aquamque simul, verbi causa matris corpori affundere. In his casibus profecto valet regula in Rituali Rom. (tit. II. cp. I. n. 16.) data „*nemo in utero matris clausus, baptizari debet*“; idque accidit donec secundinae seu membranae

(Eihäute) integrae manent, quae quippe hodie a doctis censentur esse de corpore matris, non vero foetus.

Tunc vero, cum jam disruptis secundinis seu membranis, via aperta est ad aquam usque ad foetum adducendum, isque igitur baptizari potest, obstetrix curare debet ut infans periculo instante reapse baptizetur. Id vero peragendum est ita, ut aqua infantulo affundatur vel manu obstetricis vel saltem digito in aquam intincto ablutione infantuli facta, ab eademque persona proferantur verba *Si es capax, ego te baptizo in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti*.

Et hic ceterum obstetrix monenda est, aquae infusionem et verborum prolationem uno eodemque tempore fieri oportere. Sciat praeterea hoc in casu hoc unum sufficere, et omnino non requiri, ut trina fiat aquae infusio aut per modum crucis. At utile videtur ut aqua ejusmodi, si commode esse potest, tepefacta fuerit. Cfr. Art. VI.

Dum periculum mortis foetui impendere creditur, membranae vero, quibus foetus involvitur, adhuc integrae sunt, dubitare potest num data opera, punctione aut laceratione liceat et possit via aperiri ad baptismum in casu tantae necessitatis conferendum. Hanc vero quaestionem obstetrix relinquat medico dijudicandam, eique punctiorem seu quamcumque operationem exequendam relinquat, si vero medicus id senserit et operatus fuerit, obstetrix baptismum conferat modo supra dicto. Si autem nullus medicus acciri potuerit, obstetrix ab aperiendis membranis ope cujusvis instrumenti abstineat, ne forte mulieri pariturae nocumentum afferat. (Ohler's Pastoralmedizin S. 27, III. Aufl.)

Art. XII.

Quum foetus sub conditione juxta praedicta (Art. XI.) in utero baptizatus editus fuerit, sciat obstetrix a se diversimode procedendum esse, prouti infantulus adhuc in periculo mortis versatur necne.

Quoties infans in utero antea baptizatus nunc vero in lucem editus de vita periclitatur, eum obstetrix in capite baptizet, per verba *Si non es baptizatus, ego te baptizo in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti*. Etenim valor baptismi in utero materno collati satis dubius est, ejus vero sacramenti suprema necessitas est, unde nunc iterari debet, cum primum commode tuteque fieri potest.

Si infantulus in lucem proditus satis sanus validusque appareat, obstetrix a rebaptizando sub conditione absteineat, sed opportune ad sacerdotem deferat, cui baptismum foetui adhuc in utero incluso collatum fuisse indicabit.

Art. XIII.

Si casus occurrat ut post baptismum in utero collatum non jam unus sed duo intantuli aut tergemini edantur, cum ignoretur quisnam eorum in alvo materna ablatus fuerit, singuli baptizentur ab obstetrice, ad modum quem diximus Art. praeced. (XII.), adhibita super singulis forma *Si non es baptizatus, ego te baptizo in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti*.

Art. XIV.

In partu difficili, ubi infantulus, de cuius valetudine et vita dubitatur, nonnisi aliquam corporis partem ex utero protruderit, videndum est num caput aut vero aliud membrum ediderit.

Si igitur caput prodierit, in capite baptizetur absolute, nulla scilicet adjecta conditione, per verba *Ego te baptizo in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti*; infans vero non erit postea rebaptizandus.

Si vero non caput, at aliud corporis membrum prodierit, ut brachium aut pes, super eo membro aqua infundatur, prolatis simul verbis *Si es capax, ego te baptizo in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti*. Quum autem secuto partu infans plene in lucem prodierit, mortis periculo adhuc perdurante in capite denuo baptizandus est, adhibita forma *Si non es baptizatus, ego te baptizo in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti*.

Art. XV.

Si quando contingat, ut in puerperio mulier moriatur, antequam foetum ediderit, videat obstetrix, num aqua baptismalis infantulo in utero jacenti affundi possit.

Si id quidem possibile est, obstetricis negotium erit indilate infantulum utero clausum aqua baptismatis abluere, ut supra dictum est. (Art. XI.)

Si id nullatenus aut non statim fieri queat, operam det, ut quam citissime advocetur medicus, cujus erit aut incidendo corpus defunctae matris aut alio artis chirurgicae remedio vitae foetus consulere, ita ut sit copia eidem baptismum administrandi. Interim vero curet, ut cadaver quantum fas est tepens servetur.

Art. XVI.

Casu quo monstrum nascatur, nisi periculum mortis instet, curet obstetrix sacerdotem vocari. Si vero mors foetus immineat, ipsa ad baptismum procedat. Quodsi etiam dubitetur, num quod natum est homo sit, baptismum conferat, utens verbis: *Si es homo, ego te baptizo in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti*; etenim communiter censetur id, quod e muliere nascitur, hominem esse, quantumvis aliena species esse videatur.

Ceterum edoceatur obstetrix, si aliquando monstrum ejusmodi edi contigerit, eam rem silentio premendam esse, ne familiae displicentia causetur, imo parentibus consolationem adhibendam esse, cum vel levem culpam imputare non liceat.

Art. XVII.

Evenit aliquando ut non jam monstrum edatur, sed duo quasi in unum compacti infantes (ubi duo capita adsunt et duo pectora etc.)

Obstetrix juxta Rituale Rom. (tit. II. cp. I. n. 20. et 21.) in hoc casu necessitatis utrumque individuum singillatim absolute baptizet.

Si vero mortis periculum urgeat, poterit obstetrix, singulorum capitibus aquam infundens omnes simul baptizare dicens: *Ego vos baptizo in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti*. Haec

formula in casibus tantum urgentissimis, ubi tempus singulos baptizandi propter mortis periculum deest, adhiberi licet.

Quando vero duo capita vel pectora certo distinguere nequeunt, proindeque dubium remanet, an sit una vel duae personae, tunc debet unus infans absolute baptizari, et postea alter sub conditione dicendo: *Si non es baptizatus, ego te baptizo in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti.*

Art. XVIII.

Quoad partus abortivos et quoad praematueros, haec cura esse debet, ut quamvis gestatio fructus recens fuerit, diligenter dignoscatur, num vere foetus fuerit qui prodiit. Si apparet foetum esse, parum refert num vitalem indicet motum necne, sed plane baptizandus est, remotis diligenter secundinis seu membranis, quibus forte involutus est, et quidem sub hac forma: *Si vivis et si capax es, ego te baptizo in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti.* Si foetus ejusmodi recens et parvus fuerit, expedit, ut baptizetur mersus in aquam, si vero maturior, aqua capiti affusa.

* * *

Denique.

Animarum Curatores in concionibus seu catechesibus ad populum (iisque iuvat ut obstetrices intersint) doceant quanti sit baptismus in necessitate collatus memorentque ritum illum administrandi.

Animarum Curatores obstetrices moneant earum quoque partes esse, ut curent, ne infantuli

ante partum demortui cito nimis sepeliantur, utque cadavera eorum, qui ante decessum urgente necessitate baptizati sunt, in loco sacro humentur.

Obstetrices non cessent matres monere, ne infantulos secum in lectulo retineant, quod certe gravissime illicitum est, ob periculum suffocationis tenerae prolis. Istud idem sacerdotes pro nata occasione sedulo doceant.

Data occasione sacerdotes puerperas familiasque serio moneat, ut non nisi christianam obstetricem adsciscant.

Cum non raro accidit, ut proles e personis tantum civili matrimonio junctis aut alias e conjugii solummodo putatis, vel etiam ex acatholicis, sive legitimi sive naturales filii sint, catholico sacerdoti baptizandae offerantur, obstetrices rei notitiam ad parochum catholicum, quam primum fieri possit, deferant, nominis, loci, habitaculi, confessionis, conditionis socialis parentum vel puerperarum indicationem addentes, ut si enatae prolis baptismus requiratur, necessariae cautiones pro prolis educatione catholica a sacerdote postulari possint.

In institutione obstetricum admodum praestat, ut experimentum practicum administrationis baptismi coram parochio praebeant.

In visitandis parochiis Decani non omittant inquirere, num instructio (de qua supra in Art. I.) habita fuerit, et an obstetrices formam baptizandi probe teneant.

Haec „Institutio ad Clerum“ in comitiis episcop. Austriac. Sessione VI die 7. Aprilis a. 1894 approbata est.

13.

Reliquiae antiquae, quarum Litt. authenticae non amplius habentur, conservandae sunt in eadem veneratione, in qua hactenus fuerunt.

Episcopus Jacensis in relatione status suae Ecclesiae sequens postulatam exhibuit Sacrae Congregationi Concilii die 27. Aprilis 1894 quod ab eadem Sacra Congregatione ad hanc Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositam transmissum fuit,

nimirum: — Sunt plures reliquiae in pretiosis argenteis thecis inclusae, fere in omnibus Ecclesiis Dioecesis, etsi pauperrimis, quarum authenticae non habentur, nec notitia habetur eas olim extitisse, nec tempus cognoscitur a quo illae Reliquiae

possidentur. Numerus earum, praesertim in Ecclesia paroch. vulgo Siresa, quae per aliquod tempus residentia fuit Episcoporum Oscensium tempore invasionis mahometanorum, est considerabilis et quamvis thecae antiquitatem redoleant, in archivis tamen parochiarum vel in historiis nullum exstat certum documentum earumdem authenticitatem comprobans. — Magna tamen pietate a populis coluntur, ita ut nequeat sine scandalo hic cultus prohiberi. Cum igitur antiquissimae sint, ita ut ipsa antiquitas possit constituere argumentum sufficiens ad certitudinem moralem gignendam, et apud omnes in maxima semper fuerint et sint veneratione, opinatur Episcopus orator huiusmodi

cultum permitti posse: ad omnem tamen anxietatem tollendam implorat quoad hoc iudicium S. V.

Quibus praefata Sacra Congregatio Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita, omnibus perpensis, ita respondendum censuit die 20. Ianuarii 1896: „Reliquias antiquas conservandas esse in ea veneratione in qua hactenus fuerunt, nisi in casu particulari certa adsint argumenta eas falsas vel suppositas esse.“

Datum Romae ex Secretaria eiusdem S. Congregationis die et anno uti supra

A. Card. **Steinhuber**, Praef.

V. Archiep. **Nicopolit.**, Secret.

14.

Quaestiones pro conferentiis pastoralibus anno 1897. habendis.

I.

Quum ordo cultus divini publici, in dioecesi Labacensi praescriptus, jam anno 1827. prodierit, ex illo vero tempore non pauca jam absoluta sint, conferentiae communicatis consiliis indicent, quae mutanda, quae complenda videantur sive pro nostrorum temporum indigentis sive pro meliori praescriptionum ecclesiasticarum observatione.

II.

Quum novus Catechismus jam universim adhibendus veniat, exponatur:

a) quanti momenti sint catecheses ad populum in ecclesia habendae, quanta proinde ani-

marum pastorum ad eas obligatio, quanta eorum hac in re coram Domino responsabilitas;

b) quae in catechesibus tradendis methodus praeferenda, utrum scilicet per modum concionum an per modum explicationum simul ac interrogationum (praesertim juventuti, mox toti mox singulis ex ea, faciendarum), respectu etiam habito ad civitates et simplices pagos;

c) quid de temporis periodo, proindeque de totius materiae catecheticae apta dispositione, qua Catechismus absolvi debeat?

d) quae singulis annis repetenda, et quo anni tempore?

15.

Gesetz vom 21. Jänner 1897,

womit strafrechtliche Bestimmungen in Bezug auf das Betreiben der Auswanderungsgeschäfte erlassen werden.

Mit Zustimmung beider Häuser des Reichsrathes finde ich anzuordnen, wie folgt:

§ 1.

Wer ohne behördliche Bewilligung Auswanderungsgeschäfte betreibt oder vermittelt, oder bei dem, wenn auch ge-

statteten Betriebe solcher Geschäfte den hiefür bestehenden Bestimmungen zuwiderhandelt, macht sich einer Übertretung schuldig und wird mit Arrest von acht Tagen bis zu sechs Monaten bestraft.

Das Verfahren und die Urtheilsfällung steht den Bezirksamtsgerichten zu.

§ 2.

Wer Andere unter Vorspiegelung falscher Thatfachen oder durch andere auf Täuschung berechnete Mittel zur Auswanderung verleitet, macht sich eines Vergehens schuldig und wird mit strengem Arrest von sechs Monaten bis zu zwei Jahren, womit Geldstrafe bis zu 2000 fl. verbunden werden kann, bestraft.

Im Falle erschwerender Umstände ist auf strengen Arrest bis zu drei Jahren zu erkennen, womit Geldstrafe bis zu 4000 fl. verbunden werden kann.

§ 3.

Mit dem Vollzuge dieses Gesetzes sind die Minister der Justiz und des Innern beauftragt.

Wien, am 21. Jänner 1897.

Franz Joseph m. p.

Sadani m. p.

Gleispach m. p.

16.

Ministerial-Erlass vom 15. März 1897, Nr. 4066,

betreffend die Fructificirung kirchlichen Vermögens durch Anlegung in die Sparkassen.

Laut Erlasses des hohen k. k. Ministeriums für Cultus und Unterricht vom 15. März 1897, Z. 4066, wird nach den gemachten Wahrnehmungen die durch § 50 des Gesetzes vom 7. Mai 1874, R.-G.-Bl. Nr. 50, aufrechterhaltene Vorschrift des § 194 des kaiserl. Patentens vom 9. August 1854 R.-G.-Bl. Nr. 208, wornach Sparcassaeinlagen eines kirchlichen Vermögenssubjectes den Betrag von 525 fl. ö. W. nicht übersteigen dürfen, nicht überall eingehalten.

Ueber Anordnung des genannten Ministeriums, anher mitgetheilt mit Note der k. k. Landesregierung für Krain vom 14. April 1897, Nr. 5262, wird den hochw. Kirchen- und Pfründenvermögens-Verwaltungen hiemit in Erinnerung gebracht, daß, besondere Fälle ausgenommen, wie z. B. vorübergehende Fructificirung von eingegangenen Kauffchillingen bis zur definitiven vorschriftsmäßigen Wiederveranlagung, kein größerer als der

Betrag von 525 fl. ö. W. für ein kirchliches Vermögenssubject nach Punkt 5, § 194 des citirten kaiserlichen Patentens in Sparcassen fruchtbringend angelegt werden darf.*)

*) Gesetzlich gestattete Arten, die Gelder der Minderjährigen fruchtbringend anzulegen, sind:

1. Ankauf unbeweglicher Güter;
2. Darlehen an Privatpersonen gegen gesetzmäßige Sicherheit auf unbewegliche Güter;
3. Ankauf österreichischer Staats- oder ihnen gesetzlich gleichgestellter öffentlicher Schuldverschreibungen;
4. Ankauf von Pfandbriefen der galizisch-ständischen Creditanstalt;
5. Einlagen bei den mit öffentlicher Genehmigung bestehenden österreichischen Sparcassen und bei dem Monte civico commerciale in Triest, wobei jedoch in beiden Fällen die Einlagen für einen einzelnen Waisen 500 fl. Conventions-Münze nicht übersteigen dürfen;
6. durch Anlegung in den nach besonderen gesetzlichen Bestimmungen eingerichteten gemeinschaftlichen Waisencassen.

17.

Einladung zur Förderung des XXXI. Staatslotterie-Unternehmens für Civil- Wohltätigkeitszwecke der diesseitigen Reichshälfte.

Seine k. und k. Apostolische Majestät haben die Veranstaltung der XXXI. Staatslotterie für Civil-Wohltätigkeitszwecke der diesseitigen Reichshälfte Allergnädigst anzubefehlen geruht, deren Ziehung am 10. Juni 1897 stattfindet.

Seit dem mehr als 40 jährigen Bestande des Staatslotterie-Unternehmens sind aus dem Reinertrage desselben zahlreiche Institute der öffentlichen Wohltätigkeit in allen Kronländern der Monarchie, nämlich Erziehungsanstalten und Waisenasyle, Kranken-, Reconvalescenten- und Irrenhäuser,

Blinden- und Taubstummeninstitute, Invaliden-, Versorgungshäuser u. c., theils gegründet, theils unterstützt worden, so daß die Betheiligung an dieser Lotterie als ein evidenter Humanitätsact bezeichnet werden muß.

Seine k. und k. Apostolische Majestät haben laut Eröffnung des hochlöblichen k. k. Landespräsidiums von Krain ddo. 4. April 1897, Nr. 1725, mit Allerhöchster Entschließung vom 20. December 1896 auch Allergnädigst zu genehmigen geruht, daß aus dem Erträgnisse dieser Lotterie neben anderen

wohlthätigen Anstalten auch das Knabenwaisenhaus des Vincentiusvereines in Laibach mit einem bedeutenden Betrage bedacht werde.

Diese Berücksichtigung eines einheimischen, wohlthätigen Institutes veranlaßt das fürstb. Ordinariat, an den hochwürdigen Diöcesan-Clerus mit dem angelegentlichen Ersuchen

heranzutreten, dem staatlichen Lotterieunternehmen die möglichste Unterstützung sowohl selbst angedeihen, als auch den Absatz der Lose durch entsprechende Einflußnahme auf die Pfarrgemeinden fördern zu wollen.

Fürstb. Ordinariat Laibach, am 26. April 1897.

18.

Veliki Katekizem ali krščanski nauk.

Laut Mittheilung des k. k. Landes Schulrathes in Laibach vom 2. April 1897, Nr. 797, hat das hohe k. k. Ministerium für Cultus und Unterricht mit dem Erlasse vom 22. März 1897, Nr. 7011, das Lehrbuch „**Veliki Katekizem ali krščanski nauk**“ (Izvirnik potrdili vsi avstrijski škofje zbrani na

Dunaju, dne 9. aprila 1894). Velja 40 kr. V Ljubljani 1896. Založilo knezoškofijstvo ljubljansko, zum Unterrichtsgebrauche an allgemeinen Volks- und Bürgerschulen, an Mittelschulen, sowie an Lehrer- und Lehrerinnenbildungsanstalten mit slovenischer Unterrichtssprache für zulässig erklärt

19.

Konkurzni razpis.

Razpisane so sledeče župnije: Lučine v dekaniji loški, Špitalič v dekaniji kamniški, Polšnik v dekaniji litijski, Kopanj v dekaniji šmarijski, Loški Potok v dekaniji ribniški, Stockendorf v dekaniji semiški, Ledine v dekaniji idrijski in Šturije v dekaniji vipavski.

Prošnje so obrniti za župnije: Lučine, Kopanj, Ledine in Stockendorf na visoko c. kr. deželno vlado v Ljubljani; za župnijo Šturije na visokočastiti kn. šk. ordinarijat v Ljubljani, za Špitalič na prečastitega častn. kanonika in mestn. župnika g. Janeza Oblaka v Kamniku; za Polšnik in za Loški Potok na slavno lastništvo patronskega posestva Grünhof oziroma Reifniz.

Razpisani so tudi sledeči kanonikati pri stolni cerkvi sv. Nikolaja v Ljubljani: eden kanonikat cesarske ustanove, potem privatna kanonikata: Flächenfeld-Wollwizev in baron Codellijev.

Prošnje za imenovane kanonikate so obrniti, in sicer: za kanonikat cesarske ustanove na Njega ces. kr. apostolsko Veličanstvo; za kanonikat Flächenfeld-Wollwizev na visoki deželni odbor kranjski v Ljubljani in za baron Codellijev kanonikat na preblagorodno gospo baronovko Rozalijo Codelli, roj. baronovko Taufferer, kot varuhinjo nedoletnega sina Antona Codelli, lastnika fidejkomisnega posestva Thurn pri Ljubljani.

Glede pravice do Flächenfeld-Wollwizevega kanonikata glase se določila ustanovnega pisma z dne 6. marca 1722 nastopno:

Tertio. In casu vacantiae, si ad eos, ut paulo ante innui Jus Patronatus devolvi accideret, in Comitibus publicis, non autem ullo pacto extra eadem et imprimis quidem ex mei Domini Fratris Joannis Christophori legitima successione quempiam aptum ad simile beneficium; nullo autem existente, aut eo aspirante de successione Fraterna legitima, alium quemcunque Nobilem tamen Provinciale, ac in Patria natum Subjectum non tantum pietate, et moribus, verum etiam requisito Literarum Studio praeditum, nec non semper prae divite, aut ex aliis capitibus non egeno, inopem, mediisque necessariis destitutum praesentare studebunt: satis enim, et abunde exploratum habeo in Patria nostra pro Clericis Nobilibus, quorum tamen magnus est numerus, paucas, easque exiguas esse praebendas, quod ipsum mihi non infimum fuit fundandi Canonicatus hujus motivum, et incitamentum.

Quarto. Cum Dos huic Neo-Canonicatui destinata non nihil tenuis sit, eandem concedente Deo vitam et media, augere mihi quidem reservo, quod si vero id praestare, et exequi non valerem, futurum Haereditatem meam, ac hujus Canonicatus Patronum jubeo,

ut viribus totis in eam vel per se, vel per Praesentandos Canonicos amplificandam, nec non ad uberiores sortem pro decore Familiae ac commodiori sustentatione Beneficiati promovendam incumbat. Id porro effici poterit, si et Subsecuturi Canonici pio ductu Consilium meum in Dotis incrementum aliquot centenos florenos erogandi, eamque ex proprio peculio augendi amplectentur: Praeterea, et ante omnia providendum est Canonico de aedibus, sive habitatione condecanti, cujus foribus insigne Familiae praefigatur: In hunc finem volo, ut redditus vacante Canoniatu obvenientes ipsi praebendae Canonicali, non autem Canonico cedant, et impendantur. Item

Quinto volo, ut si quispiam e Familia in Minorenni aetate ad praedictum Canoniatum a Patrono praesentaretur, quantocius secundum Sacras Constitutiones primam Tonsuram, ac quatuor minores Ordines suscipiat, Studia Philosophica, ac Theologica, et ad minus quidem moralia, una cum Jure Canonico sub poena privationis Beneficii prosequatur, ac obsolvat, ut exinde non solum ad frequentationem Chori, sed etiam alia Ecclesiastica munia rite obeunda evadat idoneus, cui, uti et cuilibet alteri, tametsi de mea esset Familia, suo tempore mihi successuro Canonico, ejusque successoribus in perpetuum annui proventus de dimidio ad dimidium annum pendantur, et respective obveniant. Econtra Minorenem, de quo mox dictum.

Presentacija za baron Codellijev kanonikat izvršuje se po sledečih določilih ustanovnega pisma z dné 13. februarija 1718:

Quinta. Obtenturus post obitum meum jus praesentandi tenebitur praesentare ad hunc a me fundatum Canoniatum personam piam, nobilem, eruditam, ac doctam, vel saltem, quae Philosophica, vel Theologica, aut Juridica studia commendabiliter, et realiter absolverit, habebitque testimonium sobrii, docti, exemplaris, et prudentis Clerici domui suae praeesse scientis, et quidem cognomen Codelli gerentem, et subditum Austriacum.

Sexta. Sub poena nullitatis tenebitur praesentare similem personam mihi ex parte Patris, aut etiam ex collateralis linea agnationis sanguine junctam, dummodo aliqua exstet, conditionibus sub N. 5. expressis praedita. Quod si vero contingeret binos Codellianos extare, volo tunc personam praesentatori magis dilectam praeferrí debere. Si autem nulla similis mihi sanguine juncta persona inveniretur; hinc statuo, ut in tali casu praesentetur Clericus natione Carniolus, aut Goritiensis, ita tamen, ut Goritiensi Carniolus semper praeferatur; hi vero praesentandi sint pii, exemplares, nobiles, docti, in Theologia, aut Jure Canonico, vel civili graduati.

Zadnji rok za vlaganje je 13. junij 1897.

20.

Škofijska kronika.

Kanonično vmeščeni so bili č. gospodje: kanonik dr. Andrej Čebašek na dekanijo stolnega kapiteljna ljubljanskega, dné 23. marcija; Valentin Aljančič na župnijo Dobráva pri Kropi, 1. aprila; Anton Korbič in Janez Zakrajšek na župnijo Železniki oziroma Vavta Vas, 30. marcija; Lavrencij Gantar in Alojzij Krainer na župnijo Vrhnika oziroma Črmošnjice, 21. aprila in Janez Müller na župnijo sv. Helena, dné 24. aprila.

Č. g. Mihaelu Arko podeljena je mestna župnija Idrija.

Č. gospod Mihael Klemenčič, kaplan v Semicu, imenovan je od nemškega viteškega reda župnijskim upraviteljem v Črnomlju. Gospoda Janez Pavlič, kaplan v Cerkljah, in Frančišek Pešec, kaplan v Cirknici, prestavljena sta kot župn. upravitelja na Šenturško Goro oziroma Rob.

Umrli so č. gospodje: Simon Robič, župnijski upravitelj na Šenturški Gori, dné 7. marcija; baron Zeno Cirheimb, Codellijev kanonik, dné 31. marcija, Valentin Pečnik, župn. upravitelj v Špitaliču, 13. aprila in Janez Bolta, župn. upravitelj na Ledinah, 1. maja 1897. — Priporočajo se v molitev častiti duhovščini.

Knezoškofijski ordinarijat Ljubljanski, dné 30. aprila 1897.